

R. P. D.

ELEPHANTUTIO

Cracovien. Separationis Thori

Super Reſervatis.

Merc. 29. Aprilis 1750.

1 PROPTER inhoneſtam vivendi rationem Catharinæ, ac pluries ab ea violatam Matrimonii fidem, locum eſſe Separationi Thori à Com. Stanislao Viro petitæ definitum fuit coram A. C., iſtiuſque Sententiam, prævia *Deciſione* à me editâ *die* 30. *Junii ſuperioris Anni*, confirmavit Sac. Tribunal, reſervato eidem Comiti Stanislao Jure agendi, tam pro moderatione menſualis ſummæ Alimentorum, quæ durante lite Conjugi collitiganti

fuerat

fuerat assignata, quàm etiam pro designatione Monasterii Diœcesis Cracovien., in quod ipsa Mulier ingredi compelleretur.

2 Duobus hisce Judicatis minimè perterrita Catharina præfata, non modo Causam indefensam reliquit, nec prosequi curavit, sed eamdem, ut primùm, inhonestam vitam in Matrimonii, ac utriusque Familiæ dedecus, ducere non dubitavit; Quapropter ad compescendos dissolutos Conjugis mores censuit Comes Stanislaus inhærendo Juribus sibi reservatis instare apud Sac. Tribunal, ut illa in Monasterium arbitrio Episcopi satigendum detruderetur, ac minora in consequens, ipsique Monasterio proportionata eidem Conjugi alimenta decernerentur; Votique compos evasit, nam dato hoc mane à me Dubio = *An, & in quo Monasterio, & in qua summa debeantur alimenta, ac assignamentum* = in contumaciam ipsius Catharinæ responsum fuit = *Affirmativè in omnibus arbitrio Episcopi*.

3 Jure quando quidem petebat Comes Stanislaus, refractariæ Conjugi non aliter Alimenta deberi, quàm in Monasterio Civitatis, vel Diœcesis Cracovien.; Cum etenim ipsa nec Viri culpa, nec alia cogente legitima Causa, sed arbitrio suo à Maritali Consortio diverterit, atque colore litis primùm super nullitate Matrimonii, tanquam vi, metuque contracti, mox super Separatione Thori ex culpa Viri ab ea institutæ vitam inhonestam duxerit, atque Connubii fidem violaverit, prout latiùs narrat, ac probat *Decisio edita coram Me die* 30. *Junii Superioris Anni*; In his planè circumstantiis, quemadmodum ad Alimenta Uxori præstanda Vir ipse, nullo modo teneretur, nec posset compelli, ad tradita communiter per *Bald. in leg. Si cum Dotem §. Si Maritus ff. solut. Matrim. Castrens. in l. Qui Uxorem num.*5. *Cod. de Negot. gest.*, *Surd. de Aliment. tit.*7. *quæst.*16. *num. primo, &* 11., *Rot. coram Cavaler. dec.*469. *num. primo coram Pamphil. decis.* 336. *num. primo, & ibi Adden. coram Caprar. decis.* 332. *num.* 50., *in Recen. decis.*117. *num.*3. *part.* 16., *& in Romana Matrimonii super Alimentis* 11. *Junii* 1728. §. *Quandoquidem coram bon. mem. Ratto, & in Romana Assignamenti* 27. *Junii* 1746. *coram Me*; Ità meritò arbitrati sunt DD., utquæ nonnisi pietatis intuitù Alimenta huic Mulieri decernenda sunt, præstentur in Monasterio, in quod ipsa ob sæpe læsam Matrimonii Fidem detrudenda venit, ex notatis per *Tamburin. de Jur. Abbat. disput.*3. *quæst.*2. *num.*2.

4 Hujusmodi autem alimenta non amplius in quantitate anteà provisionalitèr assignata, sed statuenda tantùm esse intra limites puræ necessitatis, exigunt mutatus rei status, ac præmissæ facti circumstantiæ, quæ in hac Alimentorum materia

ieria

teria prudenti Judicis arbitrio semper ponderandæ sunt, *leg. Si cui ff. de ann. legat. leg. Mala ff. de Aliment.*, *& Cibar. legat. Menoch. de arbitr. Judic. casu* 169. *n.*1., *& seqq.*, *Cancer. var. resol. cap.*16. *num.*18. *part. prima*, *Rot. decis.*5. *num.*1., *& seqq. coram Merlin*, *& in Cesenaten. Alimentorum* 10. *Junii* 1729. §. *Subverso coram clar. mem. Card. Calcagnino*.

5 Duplex siquidem, ut suprà narratum est Catharina Judicium instituit, primum nempe super nullitate Matrimonii, & alterum super Thori separatione ex culpa Viri; In utroque autem hujusmodi Judicio non modò ipsa succubuit, sed immo recognitis gravibus excessibus, contra fœdus Matrimonii ab ea patratis, per geminas uniformes Sententias declaratum fuit, constare de illius inhonestate, & hanc propter Causam esse locum separationi Thori à Com: Stanislao petitæ; Undè his stantibus, cum apertè constet, non tam de malo jure ipsius Catharinæ, quàm etiam de positiva, ac gravissimà illius culpa, quæ justam præbuit Causam separationi Thori, recedendum utique est à priori assignatione alimentorum, atque alia strictior, quæ modum puræ necessitatis non excedat, culposæ Mulieri venit constituenda, nullà habità ratione fructuum Dotis, veluti qui in hoc casu detracta hujusmodi necessaria assignatione una cum Dote Viro ac Filiis acquiruntur, ut probat *Text. in leg. Mulier.* 29. *ff. solut. Matrim.*, *& in auth. sed hodie Cod. de adult. Vivius in Sintagm. comm. oppin. lib.*9. *tit.*7. *num.*3., *Cyriac. contr.*171. *num.*2., *Guttierez. Canon. quæst. lib. primo cap.*24. *num.*16., *cum duobus sequen.*, *Barbos. in rubr. ff. solut. Matrim. part.*2. *num.*45. *Conciol. ad Stat. Eugub. lib.* 4. *rubr.* 22. *de adult. num.*1.

6 Eamdemque ob rationem integrum amplius non erat Catharinæ se recipere in Monasterium Civitatis Varsaviæ, ubi propter Loci distantiam, necessitatem Cambiorum, & ob alias Causas Vir cogeretur subire onus gravioris impensæ, ac magis splendidi tractamenti, sed cogenda erat alterum ingredi ex Monasteriis Civitatis, vel Diœcesis Cracoviensis, in quibus Seculares ac Nobiles quoque Mulieres recipiuntur, atque mitiores impensæ requiruntur; aliàs enìm primis dura esset Viri conditio, si Uxori culposæ, ac propter inhonestos suos mores, à Conjugali Thori rejectæ, ultra alimenta præstanda in Monasterio, in quò recipi solent aliæ Nobiles Fœminæ, gravaretur ulteriùs ad lautiora alimenta suppeditanda, ut in debilioribus terminis ponderavit *Rot. in Romana Matrimonii super subministratione alimentorum*, *& sumptuum litis* 11. *Decembris* 1719. §. *Quamvis coram clar. mem. Card. Corio*.

7 Reliquum erat designare Monasterium hujusmodi, ac respe-

ctivè

ctivè definire quantitatem assignamenti, sed cum Dominis perspectum esse nequeat, quod verè congruum in Civitate, aut Diœcesi Cracoviensi, sit Monasterium, ubi Catharina valeat collocari, nec quid in Causam alimentorum, ac necessarii Assignamenti in illo persolvatur, idcircò censuerunt hæc omnia remittenda esse arbitrio Episcopi, qui spectatis circumstantiis pro sui Religione, ac prudentia æquum capiet temperamentum.

Et ita &c.

ROMÆ, MDCCL.
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Superiorum permissu.

Druki wszystkie
dotyczące dziejów
różnych województw polskich

20.000